

*Conversi estis a simulacris,  
servire Deo et exspectare Filium eius.*

Léctio Epístolæ primæ beāti Pauli apóstoli  
ad Thessalonicénses

1, 5c-10

**F**ratres:

- <sup>5c</sup> **S**citis quales fuérimus vobis propter vos.
- <sup>6</sup> Et vos imitatóres nostri facti estis et Dómini,  
excipiéntes verbum in tribulatióne multa  
cum gáudio Spíritus Sancti,
- <sup>7</sup> ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus  
in Macedónia et in Acháia.
- <sup>8</sup> A vobis enim diffamátus est sermo Dómini  
non solum in Macedónia et in Acháia,  
sed in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum,  
profécta est,  
ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui;
- <sup>9</sup> ipsi enim de nobis annúntiant  
qualem intróitum habuérimus ad vos,  
et quómo do convérsi estis ad Deum a simulácris,  
servíre Deo vivo et vero
- <sup>10</sup> et exspectáre Fílium eius de cælis,  
quem suscitávit ex mórtuis, Iesum,  
qui éripit nos ab ira ventúra.

Verbum Dómini.